

misiit Helciam, & alios primarios, ut orarent Dominum ad auertendas huiusmodi maledictiones: Et simul consulerent, quid factō opus esset. 6. Quod cum Regi nunciatum esset, conuocauit vniuersum populum, & lecto publicē libro Deuteronomij, pepigit fœdus cum Deo, & adiurauit omnes, ut idem facerent: ac promitterent, se seruatuos præcepta Legis, quæ in illo libro continebantur. Quod etiam factū est. 7. His perfectis, celebrauit Phase in Hierusalem, & curauit, ut Sacerdotes & Leuitæ iuxta ordinem suum distributi, ministrarent in Templo, & officia sua peragerent. 8. Tandem, cum Necho Rex Ægypti veniret cum exercitu contra Regem Assyrorum, occurrit illi Iosias, ut ipsum impeditret. In pugna, quæ siebat in campo Mageddo, vulneratus & mortuus est. De quo sic legimus 2. Paralip. 35. 24. *Vniuersus Iuda & Hierusalem luxerunt eum: Ieremias maximè.*

34. *I o a c h a z*, filius Iosiae, à populo terræ constitutus fuit Rex. Quod indignè ferens Necho Rex Ægypti, venit post tres menses in Hierusalem. Ac primo depositus Ioachaz, & captiuum duxit in Ægyptum. 2. Exegit à populo centum talenta argenti, & talentum auri, eo quod sine ipsis authoritate constituisse sibi Regem. 3. In locum depositi Regis subrogauit Eliacim, alterum filium Iosiae, quem alio nomine vocauit Ioacim. Fuit autem Ioachaz impius, & in Ægypto mortuus est. ( 4. Regum 23.3. & 2. Paralipomenon 36.1.)

35. *I o a c i m*, seu *E l i a c i m*, fuit etiā impius. Sub illo, & sequentibus Regibus, comple-

tæ sunt maledictiones & captiuitates, quas Deus, propter peccata Manassis & aliorum Regum, minatus erat Iudeis. ( 4. Regum 24.3.) Nam anno regni eius tertio, venit Nabuchodonosor Rex in Hierusalem, & ipsum Regem Ioacim, cum magna populi parte & vasis Templi, captiuum duxit in Babylonem. ( 2. Paralipomen. 36.6. & Dan. 1.1.) Postea tamen regno fuit restitutus, cum certum quotannis tributum promisisset. Soluit hoc tributum tribus tantum annis, & tum coniunxit se Ægyptiis, & Regi Nabuchodonosori rebellauit. ( 4. Regum 24.1.) Quod ægrè ferens Nabuchodonosor, rediit in Hierusalem, anno undecimo regni Ioacim, & cepit illum captiuum, & extra Hierusalem interfecit, ac inseptum reliquit. Quod Deus prædixerat per Prophetam, Ieremiæ 22.18. *Hec dicit Dominus ad Ioacim, filium Iosie, Regem Iuda: Non plingent eum. Et infra: Sepulchra asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Hierusalem.*

36. *I o a c h i n*, filius Ioacim, ( qui & Iechnias dictus est ) fuit similiter malus, & tribus tantum mensibus regnauit. Tunc iterum venit Nabuchodonosor Rex in Hierusalem, & captiuos abduxit Regem, matrem eius, vxores, seruos, Principes, & decem millia virorum fortium in Babylonem: Et asportauit omnia vasa Templi, & thesauros domus Domini, & thesauros domus Regiae: Nihilque reliquit in Iuda & Hierusalem, nisi pauperes populi terræ Pro Ioachin vero constituit alium Regem, Mathaniam, patruum eius, & vocauit illum Sedeciam. ( quarto Regum vigesimoquarto, versu yndecimo.)

37. *S E D E C I A S*, seu Mathanias, à Nabuchodonosore constitutus Rex, fuit malus. Hic confirmato regno, cœpit rebellare contra Nabuchodonosorem. Itaque Nabuchodonosor venit cum ingenti exercitu, & obsedit Hierusalem, ab anno nono regni Sedeciae usque ad undecimum. Quo anno, cum fames præualeret in ciuitate, nec haberent amplius panem, quem comedenter; quædam nocte fugit Rex Sedecias, & omnes bellatores cum eo, per viam, quæ ducit ad campestria solitudinis. Tunc exercitus Nabuchodonosoris persecutus est illum, & comprehendit in planicie Iericho. Omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum. Inde ductus est ad Nabuchodonosorem in Reblatha. Vbi hæc contigerunt. 1. Nabuchodonosor occidit omnes filios Sedeciae coram eo. 2. Oculos eius effodit. 3. Vinctum catenis duxit in Babylonem. Postea misit Nabuzardam Principem exercitus sui in Hierusalem; qui hæc patravit. 1. Templum Domini, domum Regiam, & omnes domos Hierusalem combussit igni. 2. Muros Hierusalem in circuitu destruxit. 3. Omnia vasa & ornamenta Templi abstulit. 4. Quotquot residui erant in ciuitate, vel occidit, vel abduxit: relictis tantum vinitoribus & agricolis. 5. His præfecit Godoliam. Et hæc fuit terra captiuitas Babylonica, sub qua periret regnum Iuda. (4. Reg. 25. & 2. Paralipomen. 36. 13.) Nota. Hæ tres captiuitates contigerunt propter peccata Iudæorum. Cùm enim Deus per Prophetas nihil apud eos efficeret; voluit illos bellis, cædibus, & captiuitatibus castigare, ut vel sic tandem ad saniorem mentem redirent.

38. Hæc

38. Hæc sufficiant de Regibus Iuda. Sequuntur Reges Israël, qui omnes, post factam regni diuisionem, fuerunt impij & idololatræ. Author idolatriæ, ut paulo post dicam, fuit Ieroboam. Habuerunt primariam regni sedem, primo quidem in Sichem, tribus Ephraim: deinde in Thersa, tribus Manasse: postremo in Samaria, quæ erat in finibus tribus Ephraim, prope tribum Manasse. Duravit hoc regnum usque ad annum sextum regni Ezechiæ, Regis Iuda. Tunc enim filii Israël ab Assyriis in captiuitatem ducti sunt.

39. Igitur primus Rex Israël, post mortem Salomonis, fuit Ieroboam<sup>1</sup>, filius Nabat, Ephraetus, & à Deo speciatim electus per Ahiam Silonitem Prophetam: cum hac promissione, ut si Deo adhærerer, & mandata eius custodiret, in regno confirmaretur, non solum ipse, sed etiam posteri eius. (3. Regum 1. 29.) sed dupliciter peccauit. Primo, quia fuit ingratus pro beneficio. Nam statim accepto regno, recessit à Deo, & factus est idololatra. Secundo, fuit incredulus. Non enim credebat regnum suum stabiliendum à Deo, sed per propriam prudentiam & industriam. Res sic contigit. Soliti erant filii Israël ter singulis annis ire in Hierusalem, ut ibi orarent, & Deo offerrent sacrificia. Timebat ergo Ieroboam, ne si deinceps id facerent, redirent ad obedientiam Roboam Regis Iuda, filii Salomonis, qui habitabat in Hierusalem, & erat legitimus regni hæres, à quo defecerant. Et sic ipse regni administratione excluderetur. Ne id fieret, excogitato pessimo consilio, conflauit

duo  
s

duos vitulos aureos, & dixit filii Israël: *Nolite ultra ascendere in Ierusalem: Ecce Datus, Israël, qui te & luxurum de terra Aegypti.* Et unum posuit in Bethel, alterum in Dan. (3. Reg. 12. 26.) Et sic effecit, ut filii Israël, relicto Deo, fierent idololatriæ, & vitulos aureos adorarent. Vnde sœpè de illo dicitur: *Qui peccare fecit Israël.* Et quia reliqui Reges Israël exemplum ipsius imitati sunt, solet de illis dici: *Ambulanit in via Ieroboam, & in peccato eius, quibus peccare fecit Israël.*

40. Deinde extruxit altare in Bethel: constituit nouos Sacerdotes ex infima plebe, qui non erant de filiis Leui: instituit solennitatem, mense octauo, die 15. mensis celebrandam, similem ei, quæ celebribatur in Ierusalem: Et in ista solennitate ipse tanquam Pontifex obtulit solennes victimas, & incensum adoleuit. (3. Reg. 12. 31.) Propter hanc impietatem variis modis à Deo punitus est. 1. Altare scissum est, in quo ipse incensum adolebat. 2. Exaruit manus illius. 3. Abia, filius eius mortuus est. 4. Tota familia paulo post deleta. 5. Omnes, qui ex familia ipsius interfecti sunt, manserunt insepulti, & à canibus & feris dilacerati sunt. 6. Regnum ad aliam familiam translatum. Quæ omnia fuse narrantur tertio Regum, decimo tertio & decimo quarto. De reliquis Regibus, qui Ieroboam successerunt, nihil necesse est dicere. Constat fuisse impios.

## Quæstio

## Quæstio V.

*Quomodo creati fuerint Reges Hebraeorum?*

1. **D**icam 1. de Creatione. 2. de Inauguratione. 3. de Vnctione. Igitur, quod ad creationem attinet, notandum est, Reges variis titulis creari, seuius regni adipisci posse. 1. Electione. 2. Successione. 3. Iure belli. 4. Vi & tyrannide. 5. Donatione. 6. Emptione aut permutatione. 7. Adoptione. 8. Superioris, aut potentioris autoritate. Et si qui alij sunt.

2. Est ergo quæstio, Quo titulo Reges Hebraeorum ad regnum peruererint? Aliqui putant, electione seu suffragiis populi creatoros esse, & regnandi potestatem accepisse. Ita Carolus Sigonius, & Gullielmus Baclaius, apud Pindam lib. 2. de rebus Salomonis cap. 2. Quod duplíciter probari potest. Primo, quia Deus permisit populo ius suffragij in eligendo Rege, iuxta illud Deuteronomij. 7. 15. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Secundo, quia constat multos à populo electos esse. Sic electus est Saul. 1. Reg. 22. 13. *Nunc ergo presto est Rex vester, quem elegistis & petistis.* Sic David 2. Reg. 5. 1. *Venerunt universæ tribus Israël ad David in Hebron, & unixerunt in Regem super Israël.* Sic Salomon 1. Paralip. 29. 23. *Sed ut Salomon super solium Domini in Regem pro David patre suo, & cunctis placuit, id est, cuncti consenserunt & suffragati sunt.* Sic Roboam 3. Reg. 12. 1.

Vensi

Venit autem Roboam in Silhem : illuc enim congregatus erat omnis Israël ad constituendum eum Regem. Sic Ieroboam ibidem versu 20. Factum est autem, cum audisset omnis Israël, quod reuersus esset Ieroboam, miserunt, & vocauerunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum Regem super omnem Israël. Sic Ochozias 2. Paralip. 22. 1. Constituerunt autem habitatores Ierusalem, Ochoziam, filium eius minimum, Regem pro eo. Sic Ozias 2. Paralip. 26. 1. Omnis autem populus Iuda, filium eius Oziam annorum sexdecim constituit Regem pro Amasia patre suo. Sic Iosias 2. Paralip. 23. 25. Reliquia populi multitudine, casis iis, qui Amon percusserant, constituit Regem Iosiam filium eius pro eo. Sic Ioachaz secundo Paralipomenon trigesimo sexto, versu primo. Tuler ergo populus terra loachaz filium Iosie, & constituit Regem pro patre suo in Ierusalem.

3. Respondeo. Aliud est loqui de iure, aliud de facto. Siloquamur de iure, non poterat alias constitui vel creari Rex à populo, nisi qui à Deo electus & designatus esset, iuxta illud Deut. 17. 15. Eum constituas Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Et quia hoc non semper seruatum est, ideo conqueritur Deus apud Oseam cap. 8. v. 4. Ipsi regnauerunt, & non ex me. Si autem loquamur de facto, seruandæ sunt sequentes Conclusiones.

4. PRIMA CONCLVSIO. Aliqui per Electionem diuinam creati sunt Reges Hebræorum; ut Saul, Dauid, Ieroboam, Baasa, Iehu. Nam Saul à Samuele, iussu Dei, priuatim vñctus est in Regem, nec præsente, nec sciente populo. 1.

Reg.

Reg. 10. 1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & ait: Ecce, unxit te Dominus super hereditatem suam in Principem. Hoc enim mandauerat Deus Samueli 1. Reg. 9. 16. Hac ipsa hora, que nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum Ducem super populum meum Israël. Postea per sortes, Deo item dirigente, publicè electus est. 1. Reg. 10. 20. Applicuit Samuel omnes tribus Israël, & cecidit fors super Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Merri, & peruenit usque ad Saul filium Cis. Huic electioni à Deo factæ, consensit populus, dicens: Vixit Rex. Non tamen omnis populus, sed pauci duntaxat, quorum Deus tetigerat corda, ut loquitur Scriptura ibidem versu 26.

5. Idem constat de Dauide. Cum enim Saul à Deo Rex constitutus, ut dixi, non obediret Deo, abiecit illum Deus, & regnum eius transtulit in Dauidem. 1. Reg. 13. 13. Dixit Samuel ad Saul: Stule egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ precepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc preparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum; sed nequāquam regnum tuum ultra consurget. Quasi uit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus, ut esset Dux super populum suum. Et cap. 15. ver. 28. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Et Actorum decimotertio, versu vigesimo secundo. Et amore illo (Saul) suscitauit illi David Regem.

6. Similiter de Ieroboam, qui à Deo per Prophetam monitus est, quod facta regni Salomonis diuī

diuisione, ipse futurus esset Rex super decem tribus. 3. Regum 11. Et ait Ahias ad Ioroboam: Tolle tibi decem scissuras: Hec enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum Salomonis, & dabo tibi decem tribus.

7. Et de Baasa, cui Dominus dixit per Prophetam 3. Reg. 16. 2. Pro eo, quod exaltauit te de puluere, & posui te Ducem super populum meum Israël: in autem ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israël, ut me irritares in peccatis eorum: Ecce ego demetam posteriora Basa, & posteriora domus eius: & faciam dominum tuam, sicut dominum Ieroboam filii Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes: Et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volueres cœli.

8. Et de Iehu, qui à Propheta, iussu Dei, in Regem Israël vñctus est. 3. Reg. 19. 25. Au Dominius ad Heliam: Vade & reuenerere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque peruenieris illuc, vnges Hazael Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges regem super Israël. Et 4. Regum 9. 1. Tolle leniticulam olei, & vade in Ramoth Galaad: cumque veneris illuc, videbis Iehu, tenensque leniticulam olei, fundes super caput eius, & dices: Hec dicit Dominus: Vnxit te Regem super Israël. De vñctione dicam plura quæst. 7.

9. SECUND A CONCLVSIO. Aliqui facti sunt Reges per successionem, vt Salomon, Roboam, & plerique alij Reges Iuda. Itemque ex Regibus Israël, Nadab, Ela, Achab, Ochozias, Ioram, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Phaceia. Hi enim suis parentibus in regno successerunt, vt ex Scriptura patet. Sed notandum est, hanc successionem

succeſſionem aliquando coniunctam fuisse, vel cum expressa Dei, vel cum expressa hominum electione. Prius patet exemplo Salomonis, qui quidem ſucceddit Dauidi, patri ſuo, in regno; ſed ex peculiari Dei ordinatione, vt fatetur ipſem Dauid 1. Paralip. 28. 5. De filiis meis (filios enim multos dedit mihi Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut ſederet in throno regni Domini super Israël. Et ſimiliter Salomon 2. Paralipomenon 1. 9. Tu me fecisti Regem super populum tuum multum. Et Sapient. 9. 7. Tu elegisti me Regem populo tuo. Posterius conſtat exemplo Abiae, quem Roboam pater eius, præ aliis ſuis filiis designauit Regem, 2. Paralipomenon 11. 22. Conſtituit vero in capite Abiam, filium Maacha, Domini super omnes fratres ſuos: ipsum enim Regem facere cogitabat, quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius.

10. TERTIA CONCLVSIO. Aliqui facti sunt Reges per vim & tyrannidem, vt Athalia in regno Iuda: Et Zambri, Sellum, Manahem, Phacee, Oſee, in regno Israël. De Athalia ſic legimus quarto Regum vndecimo, verſu primo. Athalia vero mater Ochozia, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium. Et poſtea ſubditur: Porro Athalia regnauit ſuper terram. De Zambri 3. Reg. 16. 9. Rebellauit contra eum (Elam filium Baasa) ſervus ſuis Zambri. Et infra: Irruens ergo Zambri percuſſit & occidit eum, & regnauit pro eo. De Sellum 4. Regum, 15. 10. Coniurauit autem contra eum (Zachariam Regem) Sellum filius Iabes, percuſſitq; eum palam & interfecit, regnauitque pro eo. De Manahem ibidem verſu 14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thera, venitq; in Samariam, & percuſſit Sellum filium Iabes

in Samaria, & interfecit eum, regnauitque pro eo. De Phacee ibidem vers. 25. Coniurauit contra eum (Phaceiam filium Manahem) Phacee filius Romelia, & percussit eum in Samaria, in turre domus regia, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnauitque pro eo. Denique de Osee ibidem versu 30. Coniurauit autem, & ietendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romelia, & percussit eum, & interfecit, regnauitque pro eo.

11. **QVARTA CONCLVSIO.** Aliqui facti sunt Reges Hebreorum à Regibus gentilium; ut Ioa-cim à Pharaone Rege Ægypti: Et Sedecias à Na-buchodonosore Rege Babylonis. Nam Pharaon depositus Ioachaz Regem Iuda, & vincitum duxit in Ægyptum, ac in eius locum substituit Eliacim filium Iosiae. 4. Reg. 23. vers. 34. Similiter Nabu-chodono-zor, capta Ierusalem, depositus Ioachin Règem Iuda, & captiuū transtulit in Babylonem, subrogato in locum eius Sedecia. 4. Reg. 24. v. 15.

12. Argumenta, quæ initio allata sunt, nihil aliud probant, quam populum publicè ac solen-niter approbasse quorundam Regum, vel elec-tionem, vel successionem: quod non negamus. Sic enim fieri solet, etiam hoc tempore. Quando enim eligitur nouus Princeps aut Rex, vel quando filius succedit patri in regno, vel principatu; solet populus applaudere & consentire.

### QVÆSTIO

### QVÆSTIO VI.

*Quo ritu inaugurati fuerint Reges  
Hebreorum?*

1. **B**oni authores tradunt varios ritus ac cere-monias, quæ adhiberi solent in publica Regum consecratione seu inauguratione. Sunt autem hæ potissimum. Prima, Futurus Rex in throno seu solio collocabatur. 3. Reg. 1. 48. Secun-da, Vngebatur à summo Sacerdote, tertio Regum 1. 39. & 2. Paralipomenon 2. 11. Tertia, posiebatur diadema super caput eius. 4. Regum 11. 12. & 2. Paralip. 23. 11. Quatta, Dabatur illi in manus liber Deuteronomij, in quo lex erat scripta. 2. Paralipo-menon 23. 11. Quinta, Iurabat in legis obserua-tionem. Psalm. 118. 106. Sexta, Clamabatur à populo: *Viuat Rex.* 1. Regum 10. 24. & 3. Regum 1. 39. & 4. Regum 11. 12. Septima, fiebant sacrificia omnis generis. 1. Regum 11. 15. Octaua, Edebauntur varia lœtiæ & approbationis signa. 1. Regum 11. 15. & 3. Regum 1. 40. Vide Abulensem 3. Regum 1. quæstiōne 37. & Serarium 1. Regum 10. in Com-men-tario.

2. Notandum tamen est, aliquando plures, aliquando pauciores ritus fuisse adhibitos; nec se-per eo ordine, quo iam enumerati sunt. *Quod ali-quot exemplis demonstrabo.* Inauguratio Saulis describitur primo Regum 10. 24. *Clamauit omnis populus,* & ait: *Viuat Rex.* Et capite 11. versu 15. *Perrexit omnis populus in Galgala,* & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt

Dd 2 ibi

*ibi victimas pacificas coram Domino: Et latens est Saul,  
& cuncti viri Israël nimis.*

3. Inauguratio Salomonis, tertio Regum primo v. 38. *Descedit ergo Sadoc Sacerdos, & Nathan Prophetæ, & Banaias filius Ioiada, & Cerethi, & Phelethi: Et imposuerunt Salomonem super mulam Regis Dauid, & adauxerunt eum in Gibon. Sumpsiq; Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxi Salomonem: Et cecinerrum buccina, & dixit omnis populus: Viva Rex Salomon. Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibijs, & letantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. Et infra v. 47. Et ingressi seru Regus benedixerunt Domino nostro Regi Dauid, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificeat thronum eius supra thronum tuum. Et adorauit Rex in lectulo suo: & locutus est: Benedic tus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videlicibus oculis meis.*

4. Inauguratio Ioas quarto Regum II. vers. 12. *Ioiada Sacerdos produxit filium Regis, & posuit super eum diadema & testimonium; feceruntque Regem, & unxerunt: Et plaudentes manu, dixerunt: Viva Rex. Et secundo Paralip. 23. 11. Et eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium; dederuntq; in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum Regem. Unxit quoq; illum Ioiada Pontifex, & filii eius: imprecatiq; sunt ei, atq; dixerunt: Viva Rex.*

### QVÆSTIO

### QVÆSTIO VII.

*Quomodo vñcti fuerint Reges Hebraorum?*

1. **D**Vplex erat vñctio Regum apud Hebreos: Una priuata, altera publica. Priuata fiebat ante solennem inaugurationem: publica in ipsa solenni inauguratione. Priuatim vñcti sunt Saul, Dauid, Iehu, Saul à Samuele, in extrema parte ciuitatis, nullo alio præsente. 1. Reg. 9. 27. Dauid ab eodē Samuele, in domo patris sui in Bethlehem. 1. Regum 16. 13. Iehu à filio Prophetæ, in cubiculo seorsim, nullo alio conscio. 4. Reg. 9. 6. Publicè vñcti sunt Dauid, Salomon, Ioa, Ioachaz. Et quidem de vñctione Salomonis & Ioa dictum est quæstione præcedente. De vñctione Ioachaz sic legimus 4. Regum 23. 30. *Tulit populus terra Ioachaz filium Iosia, & unxerunt eum, & constituerunt eum Regem pro patre suo.* De Dauidem notandum est, ter vñctum fuisse in Regem. Primò, priuatim à Samuele, in domo patris sui, ut paulò ante dixi. Secundò, publicè in Hebron, in Regem Iuda. 2. Regum 2. v. 4. Tertiò publicè in Hebron, in Regem Israël. 2. Regum 5. v. 3.

2. Quæres, An fuerit aliquod discrimen inter vñctionem Regum & Pontificum apud Hebreos? Respondeo. Fuit triplex discrimen. Primò, quia omnes Pontifices ex præscripto legis vngebantur: Et nisi vñcti essent, non admittebantur ad officium pontificale. Exodi 29. 7. & Leuit. 8. 1. At nullum exstabat præceptum Dei, quo omnes Reges ad vñctionem astringerentur. Secundò, Pontifices

semper vngabantur publicè coram populo apud Tabernaculum Domini. Exodi 29.4. & Leuit.8.3. At Reges aliquando priuatim , aliquando publicè, vt dictum est. Tertiò, Pontifices vngabantur oleo sancto, id est, vnguento composito ex oleo, myrra, cinnamomo, calamo, casia. Exodi 29.7. & Exodi 30.23. At Reges oleo simplici, id est, non composito ex supradictis aromatibus. Quod tametsi aliqui negent, verissimum tamen est. Et tribus argumentis probari potest.

3. Primum sumitur ex lege Dei. Nam Deus præceperat, vt nullus hominum vngeretur oleo sancto, quale iam descriptum est, nisi Pontifex & Sacerdotes. Sic enim legimus Exod.30.30. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israël dices: Hoc oleumunctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non faciet aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo, quicunque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno, exierminabitur de populo suo. Ex quo præcepto duo colligimus. 1. Quod nemo præter Aaronom & filios eius, id est, præter Pontificem & Sacerdotes, potuerit vngi oleo sancto, quod ex variis aromatibus confectionum erat. 2. Quod nulli licuerit confiscare simile oleum, aut alicui alteri communicare.

4. Alterum sumitur ex phrasi Scripturæ. Nam oleum sanctum, quo Pontifex & Sacerdotes vtebantur, nunquam in Scriptura appellatur oleum simpliciter; sed oleum unctionis, vel oleum unctionis sanctum, vel oleum sanctæ unctionis, vel vnguentum, Exodi 29.7. Oleum unctionis fundes

super

super caput eius. Et cap. 30.25. Faciesque unctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij. Et infrà, vers. 31. Hoc oleum unctionis sanctum erit vobis. Et Leuit.21.12. Oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Et alibi saepius. Et ratio est, quia non erat oleum simplex ac putū, sed vnguentum confectionum ex oleo & variis aromatibus, vt iam ante dixi: ac proinde non oleum simpliciter, sed oleum unctionis, vel vnguentum appellari debuit. At oleum, quo Reges vngabantur, nunquā appellatur oleum unctionis, aut vnguentum; sed oleum simpliciter, quia non erat compositum ex oleo & aromatibus, sed purum ac simplex oleum. 1. Reg. 10.1. Tulu Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, id est, Saulis. Et cap. 16.1; Tulu Samuel cornu olei, & unxit Davidem in medio fratribus eius. Et 4. Reg. 9.1. Tolle lenticulam olei, & fundes super caput eius, nempe Iehu. Hinc infero, Reges non fuisse vnguets oleo composito, quo Pontifex & Sacerdotes vngabantur, sed oleo puro ac simplici.

5. Tertium sumitur ex illis verbis Leuit.21.10. Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fuisse est unctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecrata sunt; uestitusque est S. vestibus, caput suum non discooperiet, umenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino; super pare quoque suo & matre non contaminabitur. Nec egreditur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. In quibus verbis cōtinetur hæc lex, vt Pontifex externo ritu non lugeat mortuos, nec egredietur ex Sanctuario, prosequatur funera mortuorum, ne quidem parentum suorum. Et ratio legis

Dd 4 additur,

additur, quia oleum sanctæ vunctionis fusum est super caput eius; ac proinde nullo modo debet contaminari. Contaminarerur autem, si lugeret mortuos, aut funera eorum prosequeretur. Vnde sic argumentor: Ideo Pontifex non poterat lugere mortuos, aut eorum funera prosequi, quia oleum sanctæ Vunctionis fusum erat super caput eius. At Reges poterant lugere mortuos, & prosequi funera mortuorum. Hoc enim fecit Dauid in morte Saulis & Ionathæ, iuxta illud 2. Reg. 1. 11. Apprehendens autem Dauid vestimenta sua, scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunaverunt usque ad vesperam super Saul, & super Ionath. in filium eius. Ergo oleum sanctæ Vunctionis non erat fusum super caput Regum.

6. Vbi notandum est discrimen inter Pontificem, Sacerdotes & Reges. Solus Pontifex vngebatur oleo vunctionis in capite, & ideo non lugebat viros mortuos, ne quidem parentes. Sacerdotes non vngebantur quidem in capite, sed tamen in vestibus aspergebantur, partim in sanguine arietis immolati, partim oleo sanctæ Vunctionis, Exodi 29. 21. Et ideo poterant quidem lugere propinquos & consanguineos, non tamen alios. Leuit. 1. 2. Reges nec in capite, nec in vestibus habebant oleum sanctæ Vunctionis, sed oleum simplex & vulgare; & ideo poterant lugere omnes mortuos, quos volebant. Sic Dauid luxit filium suum Absalonem. 2. Reg. 18. 33. & cap. 19. 1. Sic luxit Abner filium Ner, & feretrum illius ad sepulturam securus est. 2. Reg. 3. 31.

7. Praeter hæc tria argumenta, quæ videntur esse solida, accedunt alia tria, valde probabilia.

Primum,

Primum, quia oleum sanctæ Vunctionis non poterat attractari, nisi à Pontifice & Sacerdotibus: At Saul, Dauid, Iehu non sunt vnci à Pontifice vel Sacerdotibus, sed à Prophetis: Nō ergo vnci sunt oleo sanctæ Vunctionis. Alterum, quia Helias Propheta à Deo iussus est vngere Iehu in Regem Israël, & Hazaëlem in Regem Syriæ, & Helisæum in Prophetam. 3. Reg. 19. 15. Et verisimile est, quod ex eadem lenticula, vel ex eodē cornu olei potuisset eos vngere. At Hazaëlem nō poterat vngere oleo sanctæ Vunctionis, quia erat homo gentilis. Ergo verisimile est, nec Iehu, nec Helisæu oleo sancto, sed simplici vnctos esse. Tertium, quia Dauid ter vncitus est, ut suprà dixit. Nec credibile est, toties vncatum esse oleo sancto; quia ne quidē Pontifex, pro quo factū erat oleū sanctū, toties vngebatur.

8. Dices: Dauid & Salomon videntur vnci esse oleo sancto. De Dauide constat ex illo Psal. 88. 21. Inueni Dauid seruum meū: oleo sancto meo unxi eum. De Salomone ex illo 3. Reg. 1. 39. Sumpsi Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem. At oleum, quod in Tabernaculo afferuatur, erat sanctū. Respondeo. Authores hic dissentunt. Aliqui putant, oleum sanctū cōmune fuisse Regibus & Sacerdotibus. Hoc iam refutatum est. Alij Dauidem & Salomonem ex peculiari dispensatione vnctos esse oleo sancto. Ita Genebrard. in Psal. 21. vbi ex Cabala & traditione Hebræorum hæc afferit. Primo ex cōsilio Samuelis & Prophetarum illius temporis, dispensatū fuisse cum Dauide, & reliquis Regibus familiæ Dauidicæ, ut vngentur oleo sacerdotali: non autē cum aliis Regibus. Itaque Saulem, Iehu, Hazaëlem, non fuisse

D d 5 vnctos

vñctos oleo sacerdotali. 2. Id propterea factū esse, quia Christus erat nasciturus ex familia Dauidis. 3. Externam & corporalem vñctionē Dauidis & Salomonis, fuisse typū seu figuram internæ & spiritualis vñctionis Christi. 4. Tametsi Pontifices, & Reges familie Dauidis, fuerint vñcti eodem oleo sancto; Reges tamen vñctos fuisse per modū coronā: Pontifices, per modū crucis decussatæ. 5. Illud oleum sanctū, (quod à Mōse confectū erat) durasse à tempore Mōsis usque ad captiuitatem Babylonicā, id est, per noncētos annos; & tametsi omnes Pontifices & Reges familie Dauidis, ex eo fuerint vñcti, nunquā tamen diminutum esse, sed per miraculū, integrū perfūtisse. 6. Pontifices post captiuitatem Babylonicā vñctos fuisse oleo nouo, quod ad similitudinem prioris erat confectū.

9. Alij rectius sentiunt, nec Dauidem, nec Salomonem, nec vllum alium Regem potuisse vngi oleo Pontificali. Ita Oleaster, Caietan. Lippoman. quos citat & sequitur noster Lorin. in Psal. 88. v. 2. Et hoc conuincit argumenta superius à nobis allata. Nec obstat illud: *Oleo sancto meo unxi eū.* Nam inde non sequitur, Dauidem vñctum fuisse oleo vñctionis, seu vnguento cōposito ex oleo & variis aromatib. (de quo solo hīc disputamus) sed tantum, vñctum fuisse oleo sancto. At oleum sanctum latius patet, quā oleum vñctionis Pontificale. Cum enim duplex oleū fuerit vñstatū in lege Mōsäica; alterum compositū ex oleo & aromatibus, alterum simplex ac purum: vtrumque poterat dici sanctū, sed diuerso modo. Oleum vñctionis dicebatur sanctū, quia per illud sanctificabantur & consecrabantur Pontifices & Sacerdotes.

## Oleum

Oleum simplex, quo vñctus est Dauid, & alij Reges ac Prophetæ, dicebatur sanctum, ratione mysterij; quia erat figura illius olei, quo postea sanctificatus est Christus. Vnde sicut de Dauid dicitur; *Oleo sancto meo unxi eum;* ita de Christo: *Vnxit te Deus oleo letina, præ consortibus tuis.* Psal. 44. 10.

10. Neque verum est, quod obiicitur, non aliud oleum quam oleum vñctionis, quo vngebantur Pontifices & Sacerdotes, asseruatū fuisse in Tabernaculo. Nam prēter illud asseruabatur etiā oleum, quo quotidie lucernæ instaurabantur à Sacerdotibus, de quo Leuit. 2. 4. *Præcipe filiis Israël ut adferant tibi oleum de oīnius purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas ugiter, extra velum testimonij in Tabernaculo fixeris.* Cur similiter non poterat asseruari oleum pro vngendis Regibus & Prophetis?

11. Quod dicitur de facta dispensatione, non est probabile. Nam neque Samuel, neque alij Prophetæ poterant dispensare in lege diuina, quæ veatabat, ne quis alius præter Pontifices & sacerdotes, vngareretur oleo vñctionis. Multo minus alij, ex eorum consilio, poterant dispensare. Quod additur, vñctionem Dauidis fuisse figuram vñctionis Christi, lubens concessero. De quo paulò post. Nec improbabile est, oleum vñctionis per noncētos annos, sine vlla sui diminutione, suffecisse pro vngendis Pontificibus & sacerdotibus. Nam etiam Rhemis in Gallia, conseruatur ampulla cum sacro Chrismate, quæ similiter sine vlla sui diminutione, per mille & centum annos suffecit pro vngendis Regibus. De qua Genebrard. & Lorin. loco citato. Reliqua quæ adferuntur, parum ad rem faciunt.

12. Quæ

12. Quæres: Quare Reges fuerint vnceti in veteri Testamento? Non dispuro iam de genere olei, de quo satis dictum est, sed de ipsa vunctione, quare adhibita fuerit in Regum inauguratione? Respondeo. Adhibita fuit propter has causas. Primo, ut sicut per vunctionem Pontificum significabatur summa illorum dignitas & excellentia inter Ministros Synagogæ: ita per vunctionem Regum significaretur summa illorum dignitas & excellentia inter Principes seculares. (Abulens. in 1.Reg. 10. quæst. 1.) 2. ut per hanc ceremoniam insinuaretur Regibus dari gratiam & robur animi, ad defensionem religionis & subditorum. (Augustinus Triumphus de potestate. Ecclesiastica quæst. 38. artic. 2.) Tertio, ut repræsentarent Messiam, siue Christum Regem. Sicut enim Pontifices per suam vunctionem, erant figura Christi Pontificis; ita Reges per suam vunctionem erant figura Christi Regis. Vnde Reges in Scriptura vocantur Christi Domini, ut patet 1.Reg. 24.7. vbi Dauid loquens de Saule, ait: *Proprius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Et 2.Reg. 1.14. de eodem: *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini?* Et Psal. 104.15. *Nolite tangere Christos meos.* Et Isaïæ 45.1. *Hec dicit Dominus Christo meo Cyro.* Vide Seratium lib. 1. Reg. cap. 10. in Commentario.

QVÆ

## QVÆSTIO VIII.

*Quod fuerit officium Regum apud Hebreos?*

1. **O**fficiū Regis summatim describitur Deut. 17.18. his verbis: *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volume, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legeque illud omnibus diebus vita sua, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt, nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos; neque declinet in partem dexiram vel simistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii eius super Israël.*

2. Hic tria potissimum præscribuntur Regi. Primo, ut habeat apud se exemplar legis Deuteronomij: illud assidue legat: præcepta eius custodiatur. Quod etiam mandatum fuit Iosue cap. 1. v. 8. *Non recedat volumen legis huius de ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, que scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Contra hoc peccarunt aliqui Reges Iuda, præsertim qui Iosiam proximè præcesserunt. Nam tempore Iosiae, repertus est liber Deuteronomij in domo Domini, vbi multo tempore latuerat occultus & incognitus. 2. Paralip. 34.14. Vnde necesse est, proximos illius antececessores, Manassen & Amon, nec habuisse, nec seruasse legem Deuteronomij. Quod etiam dicendum est de Regibus Israël, qui omnes, ut dixi, fuerunt idololatriæ. Longè aliter Dauid, qui de seipso fatetur Ps. 118. 93. *Quomodo dilexi legē tuā Domine: tota die meditatione mea est.*

3. Se

3. Secundò, ut non superbè efferat se supra fratres suos, id est, supra Hebræos, vel supra gentem suam. Rex enim debebat eligi ex gente Hebræorum, Hebræus ex Hebræis, iuxta illud Deut. vers. 17.15. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* At frater non debet se superbè eleuare supra fratrem. Non, quod non possit auctoritate vel iurisdictione, aut alio titulo esse superior suo fratre: sed quod non debeat prætextu regiæ dignitatis & eminentiæ, vel opprimere subditos, vel facere contra fraternā charitatem. Cōtra hoc peccauit Salomon, qui grauissimum iugum imposuit suis subditis, immoderatas exactiones & tributa ab iis exigendo. 3. Regum 12.4. Et Roboam filius eius, qui rogatus, ut minueret aliquid de grauissimo illo iugo, respondit: *Pater meus posuit super vos iugum graue: Ego autem addam super iugum vestrūm.* *Pater meus cæcidit vos flagellis: Ego autem cedam vos scorpionibus.* ibidem v.11. Et Achab, qui iniuste occidit Naboth & vineam eius occupauit. 3. Reg. 21. v.16. Et alij multi.

4. Tertiò ut non declinet in partem dextram vel sinistram. Quod poteat duplice intelligi. Primo, ut seruet iustitiam, & ab ea non declinet, vel in dextram, vel in sinistram partem: quod solet fieri, vel ex fauore & acceptione personarum; vel ex spe lucri & utilitatis; vel ex odio aut alia peruersa affectione. Secundò, ut constanter & perfectè custodiat legem Dei. Hic sensus colligitur ex illo Deut. 28.14. *Si audieris mādata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaveris ab eis, neque ad dextram, neque ad sinistram, &c.* Et c.3: v.29. *Nou, quod post mortem meam iniquè agitis, & declinabitis eum de via, quam præcepi vobis,* id est, Non eritis constantes

tes in obseruatione legis Dei. Et Iosue 1. vers. 7. *Confortare igitur & esto robustus, ut custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moses seruus meus: ne declines ab ea ad dextram vel ad sinistram.* Vbi hortatur illum ad constantiam in obseruatione legis. Hanc constatiam habuit David, Psal. 118.157. *Muli-  
ti qui persequuntur me, & tribulati me: à testimonii iuis  
non declinavi.* Non habuit Saul, Salomō, Roboam, Ierooboam, Ioas, Amasias, qui initio quidem seruarunt legem, sed postea ab ea declinauerunt, & impij facti sunt. De quibus supra.

5. Præmium autem temporale, quod constitutum est Regi, qui haec tria seruauerit, insinuatur illis verbis: *Vt longo tempore regnet ipse, & filii eius super Israēl.* Quod non contigit Sauli, qui post bienniū amisit ius regni, nec potuit illud transferre in filios suos; sed in familiam Dauidis a Deo translatum est. Nec Salomoni, qui filio suo reliquit minimam regni partem. Nec Ierooboam, Baasa, Iehu, & similibus, qui propter peccata sua meruerūt spoliari regno, vel in se, vel in proximis filiis suis: Neque potuerunt ultra tertium aut quartum hæredem, illud propagare. Quo spectant sequentia testimonia. 1. Reg. 13.13. *Dixit Samuel ad Saul: Stubi egisti, nec custodiisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc preparasses Dominus regnum tuum super Israēl in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.* Et cap. 15.26. *Proieciisti sermonem Domini, & proieci te Dominus, ne sis Rex super Israēl.* Et infra: *Scidit Dominus regnum Israēl à te hodie, & tradi-  
dit illud proximo tuo meliori te.* Et Ecclesiast. 10.8. *Re-  
gnūm à gente in gentem transferitur, proprie in iusticias,  
& iniurias, & contumelias, & diversos dolos.* Non de-

desunt exempla Christianorum Regum ac Principum.

## QVÆSTIO IX.

*Quod fuerit ius Regum in subditos?*

1. **H**oc Samuel ostendit 1. Reg. 8.11. his verbis: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & praecursores quadrigarum suarum: Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi virginarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Et clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.*

2. Quæres 1. Quale fuerit hoc ius regale? Respondeo. Fuit ius tyrannice potestatis, quod Reges gentilium solent sibi usurpare, ut recte docet D. Thomas in 1. 2. quæst. 105. a. 1. ad 5. Serarius 1. Reg. 8. Turniellus in Annalibus, anno mudi 2959. num. 3. Azor 2. p. Instit. Moraliū lib. 11. cap. 4. & plures alij. Et probatur primo, quia tria potissimum continentur hoc iure. 1. Subditos, qui liberi sunt, facere mancipia, & in servitutem redigere. 2. Eorum filios & filias pro libito in propria servititia & commoda destinare.

## De Regibus veteris Testamenti.

destinare. 3. Eorum vineas, agros, oliueta, & alia bona externa, vel penitus auferre, vel omni tributorum genere vexare. At hæc tria, nec iure naturali, nec diuino licita sunt; sed tantum usurpantur iure quodam, seu consuetudine tyrannorum.

Secundò, quia populus petuerat à Samuele tam Regem sibi dari, quale habebant aliæ gentes. 1. Reg. 8. v. 5. *Constitue nobis Regem, ut indices nos, sicut & uniuersa habent nationes.* Et infra vers. 19. *Rex erit super nos: & erimus nos quoq; sicut omnes gentes.* Itaque Samuel volens eos detergere ab hac petitio-ne (qua grauiter Deum offendebant) prædixit illis ius, quo uti solent Reges gentilium, ut eo auditio mutarent sententiam.

Tertiò, quia si illud ius, de quo Samuel loquitur, esset verum ac legitimum ius regium; certè Achab Rex non peccasset, petendo vineam Naboth, quia usus fuisse suo iure: sed potius peccasset Naboth, non obtemperando Regi, utenti suo iure. At hoc falsum est: Ergo & illud ex quo sequitur.

Quartò, consentit Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 4. vbi sic ait: *Deus petenti Regem populo, non humanum pollicetur Dominum, sed quendam se insolentem daturum eis minatur tyrannum, libidini & voluptati deditum.* Et D. Gregorius lib. 4. exppositio-nis cap. 1. *Iura hominum proponuntur contemnitibus iura Dei: & his, qui mitia & salubria diuinitatis consilia spreuerant, dura & importabilia humane servitutis onera prædicuntur.* Et ibidem: *Ad hoc Propheta graue ius Regis exposuit, ut nequaquam peteretur.*

3. Quæres 2. An hoc ius fuerit concessum Regibus, ita ut licite potuerint illud usurpare?